



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.XIII. Sancti Patris Benedicti. M.C.XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

na Monachus ab egregia Vita integritate non minus, quam acuratiore eruditione celebratus, qui tamen ad studia sacrarum litterarum animū quā maximē appulit, & Sanctorum Doctorum libris perlegendis se exercuit; ita ut in omnibus perfectus evaderet, erat enim acri ingenio, & ad quidvis apto, quo quascunque quæstiones capiebat. Hic ne posteritas laboris sui fructu fraudaretur, reliquit sequentia: *Vitas Sanctorum, per ordinem mensium, in proprios eorum dies Natalitios distributas.* Tomis 6.

Ingenij
monimen-
ta.

Summam Theologie Moralis septem arboribus comprehensam.
Epistolam Symbolicis Characteribus & ingenio plenam ad Philipp. III.

Petrus de
Lorca obiit.

Moritur hoc eodem anno Petrus de Lorca Congregationis Hispaniæ Reformator Generalis, de quo supra; & Ignatius Firminus de Hiberno Nucalensis Cænobij Asceta, Abbas Viteri, Philosophus & Theologus præstantissimus, Mathematicus curiosissimus, imo quasi omniscius, cum nulla ferè esset Liberalium artium, cujus cognitionem non teneret; ita ut omnibus admirationi esset, in uno homine tot, tamque perfectas gratias cum acquisitas, tum naturales reperiri. Fuit celebre ejus nomen in Complutensi Universitate, ubi Theologiam publicè professus est, & Durandi Cathedram moderatus. Reliquit præstantia aliquot nobilis ingenij in suis voluminibus specimina, inter magnos magni operis conceptus conatusque, ad præmia æternitatis hoc anno vocatus. *Ex Ang. Manrique Chrysof. Henrig. &c.*

Translatio
S. Agrioli.

Hoc ipso anno, memorabili plausu Avenionensium summa cum Ordinis gloria & gratulatione solemnissimè elevatur & transfertur corpus sacratissimum S. Agrioli nostri Avenionensis Episcopi & Urbis ejusdem celeberrimi Tutelarioris, facta per Reverendissimum & Illustrissimum Dominum Stephanum ejusdem loci Archiepiscopum translatione ad altare majus Metropolitanæ Ecclesiæ, ubi in arcam inclusum argenteam, religiosissimè asservatur & colitur.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XIII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XXXIII.

I Terum stella insignis celo Empyreo inferitur magno Cælitum plau-

su transumpta ex Monasterio Ferrariensi in Hispanijs P. Ambrosius de Herrera. Fuit iste exemplar perfectionis perinsigne, magnis Virtutibus illustrissimus, charitatis in primis in Deum atque proximum, humilitatis deinde atque Obedientiæ perfectioris exemplis celebrer, cœlestes consolationes inter orandum experiri meritus, easque inter, gravi aliquando morbo oppressus; & lectulo affixus, *Speciosum præ filijs hominum cœlesti splendore circumdatum*, & candidissimo Cisterciensium nostrorum cuculle indutum conspiciens, mirificè recreatus ac prodigiosè restitutus convaluit, postque aliquot dein annos sancto fine, pridie Calendarum Maij decessit. *Ex Theodoro Mon. Perfect. Chrysof. Henrig. & Menol. nostro.*

Ambrosius
de Herrera
&c. vij.

Christi
ipso appa-
ru.

Extinguitur & aliud præstantissimum Regni Galliarum totiusque Ordinis Sydus Maria Senior S. Aniani Comitissa, Junioris Bellovillariensis sanctissima amita, Bellomontensis juxta Turones splendidissimi Virginum Benedictinarum Cænobij dignissima Abbatissa; exemplar absolutissimum omnis perfectionis, ad quod se Junior toties commendata à nobis, per omnia composuit, ita à seniore formata, ut tenellula etiamnum in pœnitentiæ palestram suam ultro devoveret innocentiam, in qua nihil tam arduum, nihil in humilitatis pulvere abjectum & tenue, nihil in obedientiæ aliarumque virtutum schola, adeo præstans & perfectum, quin eadem tenellula Virgo, non exemplo potius Amitæ doctæ, quam verbis liberrimè amplecteretur. Ad seniore, etiam jam Abbatissa Montis creata, in omni necessitate, in omni dubietate animi & anxietate, tanquam ad Oraculum suum confugit, & semper consilium & auxilium, imo solatium animi maximum retulit. Fuit Bellovillariensis Senior Zelatrix Ordinis mirifica, virili prorsus animo fæmina, talis omnino, ut ejus Monasterium, absque exemplo, exemplar alijs Cænobijs fieret, ipsa vivum simulachrum sanctitatis haberetur. Decessit Antistita felicissima hoc anno mensè Novembri, cum jam providè Monasterio suo consulisset, neptim suam vere Illustrissimam Coadiutricem assumendo, quæ etiam tanto promptius

Maria de
villariensis
Abba. ve-
ritur, ju-
oris amica

Zelatrix
Ordinis
mirifica

in

in sanctissimæ non tam Amitæ, quam veræ Matris locum successit, post longam cum viris sapientissimis & Religiosissimis deliberationem, quod à mortua immortalis, quam lugebat inconsolabiliter, non minus quam antea juvandam se crederet, & in hoc quoque mœrore suo consolandam. *Ex Vita Mariæ Bellovillar.*

Chrysof. à Conceptione. Floret hoc etiam anno sanctæ memoriæ Venerabilis P. F. Chrysofomus dictus à Conceptione, Vallis Ecclesiarum Monachus, vir omnium scientiarum doctrina instructus, sed super omnia humilitate & patientia probatissimus, qui post longos & multos labores in Ordine fortiter exantlatos, cum aliquando horas Canonicas legeret, & ad eum Verficulum perveniret: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce Hereditas Domini, &c.* se illam intra mensem obtenturum, voce è coelo lapsa, aperte, disertè & distinctè audire meruit, & infra terminum prædictum, mira animi dispositione præparatissimus, feliciter in Domino obdormiens, in Regni æterni amplissimam & Augustissimam hæreditatem est introductus decimo sexto Calendas Novembris, quo die anniversaria ejus memoria in Menologio nostro, & Henriquezj habetur.

Jpso anno cum Serenissimæ Principes de Longaville & Bouteville, in suum à se superiore anno constructum in Suburbio Parisiensi ad proprias aedes in Villa Episcopi dicta, Monasterium, coloniam Monialium enixè efflagitarent à Mariâ nostrâ Montis Martyrum Abbatissâ, ipsâ diu multumque reluctans, etsi jam abundaret eâ functione dignissimis, eo tamen quod incrementum Ordinis & Reformationis concerneret, Dei offensam verita, certum earumdem numerum concessit, optimis antea monitionibus instructarum, quibus sanctæ memoriæ Margaritam de Arbouse Superiorem præfecit, Margaritam verè incomparabilem, cujus vita universa miraculum Gratiæ Dei fuerit, taliter in ea operantis, ut merito, si saperet, omnis mundi sapientia obstupesceret simul & obmutesceret. Quantis modis detrectarit humillima Virgo, nemo satis explicaverit, effecit tamen Mariæ Bellovillariensis, tantæ auctoritas Abbatissæ, tan-

taque vis Obedientiæ apud Margaritam, ut sibi factu necessarium crederet, quidquid, etiam impossibile, sua Antistita imperaret. Et verè Margarita erat, quod ipsi ipsimet nomen sapientius arrisit, ut sæpè (non tam sui ipsius intuitu, quàm Dei erga pauperculam, & omne miserrimum hominis genus æstimando ultronem amorem) diceret: Etsi cætera indignissimam, secundum animam tamen, eam se esse Margaritam, quam ut compararet, Mercator Evangelicus, ipse Christus Dominus, vitam, sanguinem, denique omnia sua non dedit modo, sed benevolentissimè profuderit. Teinde, inquebat; Margarita flos est humilis, pedibus incedentium attritus, vereque *flos campi*, quo symbolo ei omnimodæ humilitatis studium singulare significabatur. Præterea in margarita candor purpuræ immixtus est: *Et talis est, aiebat, Dilectus meus candidus & rubicundus electus ex n. illibus.* Porro caret proprio odore margarita; sed facillè alios omnes concipit, & afflat suavissimè: *ita, inquebat, si amore proprio planè destituar, Virtutibus Sponsi quibuslibet imbui potero, Christi que bonus odor esse in omni loco & statu.*

Denique quæ semel in Baptismate protestata fuerat ore & voce susceptorum seu Patrinarum, ea ipsa, tanquam à se facta, quotidie per semetipsam repetebat. Sed de miraculo miraculosissimo hujus Christi Sponsæ deinceps sapientius, donec ipsam sepeliamus, quam tamen in mentibus omnium redivivam desideramus. *Ex Vita ejusdem Mst. & alia typo expressa, P. F. Amando Tribut, &c.*

In Hibernia miris sanctitatis fulgoribus elucescit sanctæ memoriæ P. F. Nicolaus Fagan, Ferrariensis Monachus, inde Monasterij S. MARIÆ de Sutrio Abbas, electus demum Episcopus Watterfordiensis, Vir vere Apostolicus, gravissimisque laboribus pro Fide Catholica, & Romanæ Ecclesiæ auctoritate perfunctus. Hic primus ex Hibernia, post oppressam Religionem Catholicam, in Hispaniam veniens Reformatissima tunc Cisterciensium nostrorum, Congregationi ibidem nomen dedit, eidemque postrema ætate nostra alios inter præstantissimos viros, decus æternum peperit.

Post

Quali estimatione Margarita.

Miraculum Christi Sponsæ.

Ven. Nicolaus Fagan Mon. Ferrar.

Fis Episcopus Watterfordiensis.

Post annos autem aliquot, denuo mis-
sus in patriam Apostolico labore stre-
nuè desudavit, perniciosissimosque
Hæreticorum errores reterege & con-
futare non desijt. Et vero licet gra-
vissimis ob id ipsum calamitatibus ma-
gis ac magis semper opprimeretur, &
insensissimò ab iisdem exagitaretur.
odio, DEI tamen Verbum prædicare,
SS. Sacramenta administrare, multo-
que ad Religionem Catholicam per-
trahere, magno animo vir nunquam
desistit, imò alacrior semper procef-
sit, fidelemque Christo Domino suo,
sanctæque Matri Ecclesie comproba-
vit. Unde multis difficultatibus, mul-
tisque & evidentissimis vitæ periculis
se se exposuit, licet semper DEI gratia
ad multorum salutem conservatus. In
quem aliquando Hæretici, furore &
rabie plus quàm diabolicis irruentes,
sustibus ipsum egregiè dedolarunt.
Ierum dum pro Concione aliquando
diceret & efficacissimis Verbis Fidem
Catholicam astrueret, Hæreticus qui-
dam scelopum in eum explosit, & hu-
merum ejus trajecit, quo licet vulne-
re pro Voto impiorum non interjerit,
magnum tamen inde deinceps dolores
sensit, & periculose aliquamdiu decu-
buit. Quæ omnia sancto viro mag-
no commodo erant, quod hæc omnia
latus sufferret, & in Sacrificium DEO
consecraret, & non aliter atque sum-
ma DEI Beneficia æstimaret atque ac-
ceptaret, intentionisque ac desiderij
sui, ad Martyrium pro Christo tole-
randum, fervorem concitaret. Ut
nemo satis, sive ex labore ejusdem fru-
ctum, sive ex tanta patientia, sanctæ-
que intentione meritum unius hujus
viri Apostolici possit æstimare. *Ex
Angl. rer. Scrip.*

Plurima
ab Hæresi-
cu possit.

Verè Mar-
tyr habendus.

Verè Vir
Apostolicus.

Alexander
à Lacu
Cremi-
phan. Abb.

Extinguitur hoc anno magnum,
Ordinis & Superioris Austriæ orna-
mentum Reverendissimus Dominus
Alexander à Lacu, Hilariensis primū,
dein Garstensis, Cremiphanensis de-
nique Monasterij pulcherrimi Abbas
de re Catholica optimè meritis, qui
magno Religionis Zelo, subditos Mo-
nasterij in Hæresim prolapsos feliciter
revocavit, idemque faciendi multis a-
lijs auctor fuit. Idem summa rerum
gerundarum pollens dexteritate, ad
maximorum Principum expetitus Au-
las, gravissimis Legationibus, insigni

boni publici emolumento, felicissimè
est perfunctus. Romæ Paulum, V.
Pont. Max. ipse convenit, & gravissi-
ma cum ipso negotia tractavit. Varia
extruxit, multa excoluit, magnasque
à Cæsare gratias retulit, immunitates
impetravit, suis denique omnibus Re-
ligioso vitæ exemplo insigniter præ-
luxit. Mortuus immortale sui deside-
rium suis dereliquit. 19. Maijanni præ-
sentis. *Ex monim. ejusdem Monast. Cre-
miphan.*

Obijt eodem anno singulare Sacra
Bursfeldensis Congregationis Oracu-
lum Reverendissimus in Christo Pater
ac Dominus Joannes Atræus à Ket-
tich celebris Monasterij de Lacu dicti
Dioceseos Trevirensis Monachus &
Abbas meritissimus, Præfatæ Congre-
gationis Præses doctissimus, eruditio-
nis, eloquentiæ & Virtutum omnium
laude decantatissimus, incredibili to-
tius Monachici Ordinis luctu 26. Maij
extinctus. *Ex Monim. ejusdem Monast.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XLV.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XXXIV.

Iterum Triumphis Martyrum in
cœlesti Hierusalem insignem sub-
mittit Heroem Ordo noster, Beatum
Thomam Helmium sive Dunstallum,
post rem generosissimè in Anglia ge-
stam, ad præmia æternitatis vocatum.
Hic ex illustri Duaceno Apostolicæ
Confœderationis prodiens Collegio
Candidatus in laboribus, angustijs &
periculis Apostolicis, sexennium fe-
rè in patria exegit, majorem partem
perpetua & constantissima Christi, è
vinculis & carceribus, confessione.
Pronunciata demum in eum mortis
sententia, signo se Sanctæ Crucis com-
muniens: *Benedicta sit, inquit, Sancta
Trinitas, atque indivisa Unitas: confite-
bimur ei, quia fecit nobiscum Misericordiam
suam.* Utque adstabat coram Tribu-
nali, in genua procidens, aliquod tem-
poris spatium orationi impendit. Jus-
sus ad patibulum usque ad equorum
caudas raptari, tum suspendi, mox fu-
ne reciso Semivivus è patibulo detur-
bari, virilibus, corde, & visceribus e-
vulsis, ac in accensum rogam projec-
tis, tum demum capite truncari. &
in quatuor partes discerpi, *DEO gra-
tias, respondit, Atqui omnia ista, allo-
quitur Judicem, Perillustri Domine,
mors*

Ejus meri-
ta

Joan.
Atræus
Præse
Bursfeld.

B. Thomæ
Dunstallus.

Capitulum
Deum be-
nedictum
pro gratia.

Pen-
el
He